

53. Error Scribarum.

Chald.

Hilar. Cyril. Chrysof. Hieron. Theophil.

36. August.

Non jurandum per creaturas.

Clavis Reg. Suarius. Sanch. Rodrig. Bonacina.

37. Quilibet sua vult sacra repromitti.

Primò errabant Scribæ putantes, in secundo præcepto solam perjuriæ prohiberi. Nam illum mandatum Non assumes nomen Dei tui in vanum: ex Hebraica radice vertitur, ut etiam habet Chaldæus, Non assumes nomen Dei tui ad mendacium. Chriftus verò, ut notantur D. Hilarius Can. 4. Cyrillus lib. 5. in Isaiam cap. 65. Chrysoftomus homil. 17. D. Hieronymus, Theophylactus, Albertus Magnus, & alij, hac sua doctrina docet prohiberi omne juramentum leve, & temerarium, omnemque jurandi consuetudinem, omnemque irreverentiam, & abusum adducendi Deum in testem; ut patet ex dictis in expositione.

Secundò, ut docet D. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte. Scribæ parvi pendebant creaturas; & nihil æstimabant per eas jurare, ac proinde asseriebant, quòd ex juramento per creaturas obligatio non resultabat, nec ipsi tenebantur adimplere promissa tali jurejurando interveniente, ut constat ex Matth. 23. à n. 16. Chriftus hic docet, non jurandum per creaturas; nam per Deum jurate censetur, qui per creaturas jurat; totum enim esse, quod creatura in se retinet, à Creatore habent. Et ipsa Dei bonitas specialiter in creatura relucet, tanquam in opere ipsius Dei. Et quando juramentum per creaturam, verbi gratia, per cælum, vel animam, est, censetur ipsa in testem adduci per ordinem ad Deum, à quo habet totum esse, veritatem, & bonitatem. Ita docent Clavis Regia lib. 5. cap. 1. n. 14. Suarius lib. 1. de Jurament. cap. 13. n. 23. Sanchez in summa lib. 3. cap. 2. num. 12. Rodriguez 1. part. cap. 191. num. 1. Bonac. de Jurament. disp. 4. quæst. 1. punct. 1. num. 3.

Tertiò, errabant Scribæ, quia docebant, quòd ille, qui jurabat per templum, vel altare, juramento non obligatur. Dicebant tamen, quòd juramento tenebatur, qui per autem templi, vel per donum altaris jurabat. Hoc dicebant illi, quia, aurum, ac donum templi in eorum utilitatem cedebat; & ideo hæc ut valde sacra in omnium oculis reputari, ac æstimari volebant. Hos tamen errores refutat Chriftus Matth. 23. numero 16.

QUESTIO VIII.

Utrum Christianis liceat juramentum?

38.

ANc questionem latè tractant Theologi in materia de Juramento, quos vide. Eam tamen breviter hic attingo, ut intelligentiam præsentis textus magis aperiam, ac mentem Sanctorum Patrum, qui hic loquuntur explicem.

39. Euthym. Theophyl.

Chrysof. Hieron. Cromant. Basil. Origen. Hilarius. Epiphani. Anastas. Ambros.

Primò Euthymius, Theophylactus existimant, Juramentum fuisse, præceptum legale legis veteris, sicut & circumcisio; ac proinde cum ipsa lege per Christum fuisse extinctum. Secundo D. Chrysoftomus homil. 17. D. Hieronymus asserunt Juramentum fuisse permissum Judæis, ne per idola jurarent; Christianis verò non esse permissum. Tertio Chromantius lib. 2. Basiliius in Psalm. 14. Origenes hic tract. 35. D. Hilarius hic Can. 4. S. Epiphanius hæres. 19. S. Athanasius serm. de Paschone, & Cruce Domini. S. Ambrosius in Psalm.

118. serm. 1. tenent, Judæis, tanquam imperfectis, & rudibus, juramentum fuisse à Deo permissum, sicut & illis permissus fuit libellus repudij, ne uxores sibi invisas enecarent; hujusmodi autem libellus repudij ademptus est Christianis, ita etiam his, tanquam perfectis, veritatem est juramentum, ut ipsis omnino sit interclusum periculum perjurandi.

Vera, & Catholica sententia est, non solum Judæis, sed etiam Christianis jurare licitum esse. Conclusio est de fide, & eam firmat, universalis usus, & praxis totius Ecclesiæ. Et ita ait Paulus ad Hebræos 6. num. 16. Omnis enim controversia eorum, scilicet Christianorum, finis est juramentum. Et ita etiam Deus juravit, Gen. 22. num. 16. Paulus juravit Roman. 1. num. 9. & 2. Corimb. 1. num. 13. Philip. 1. num. 8. & 1. Thessal. 1. numero 5. & 10. Jurat Angelus Apocal. 10. num. 6. Probatur resolutio, quia Juramentum, interveniente justa causa, est quid bonum ad confirmandam veritatem, & ad stabilendos contractus humanos. Tamen, ut optimè notant Valencia 2. 2. disp. 6. quæ 7. punct. 3. Azor. lib. 11. cap. 2. Clavis Regia lib. 5. Lessius. cap. 3. in principio, Lessius lib. 2. cap. 42. n. 9. & 10. Suarius tom. 2. de Reig. lib. 1. de juramento. cap. 4. & 7. Sanchez in opere moral. lib. 3. cap. 13. nu. 2. Juramentum, quamvis sit licitum, & bonum, non est tamen de eo genere bonorum, quæ sunt per se bona, & frequentanda, ut est jejunium, oratio, elemosyna, &c. Sed est ex genere bonorum, quæ sunt bona, & appetibilia, posita necessitate ac urgente causa, sicut est usus medicinæ, necessitate exigente, ut rectè ait D. Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte.

Ad sanctos Patres citatos respondeo, eos non negare juramentum omnino, sed eos loqui in eo sensu, quòd Chriftus præcipit, non jurare, omnino, quòd jam explicavi in expositione. Ac proinde sancti Patres maxime intabant: non esse jurandum sine necessitate, temerè, ac pro re levì, & hujusmodi pravam consuetudinem intendebant evellere, ac extirpare. Quod ex eo comprobant, quia cum Christiani sint multo perfectiores Judæis, necesse erat, cum majori cautela, modestia, ac religione vivere, ac proinde à prava jurandi consuetudine abstinere.

Matth. 5. n. 35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerusalem, quia civitas est magni Regis.

Numer. 36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.

Numer. 37. Sit autem sermo vester Est, est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.

VERSIONES.

Syriacus. Quia scabellum est subter pedes ejus. Pagninus.

Pagninus, Vatablus. Quia scabellum est pedum ejus.

Syriacus n. 35. Nec etiã per Ourischlem, quia civitas est summi Regis.

Numer. 36. Neque per caput tuum jurabis, quia non potes facere in eo, vel particulam unius pili nigri, vel albi.

Numer. 37. Sed erit sermo vester; Est est, & Non, non: id, quod supra hæc abundat, à malo est.

Arias, Pagnin. Sermo vester: Etiam, etiam, Non, non.

Ex Hebræo. Sermo vester: Sic, sic; vel Rectè, rectè; Non, non.

D. Chrysof. Quod ultra hæc adjungitur, ex malo proponitur.

Theophylactus. Quod amplius his est, à malo est.

EXPOSITIO.

42.

ROSEQUITUR Dominus suum sermonem, ad doctrinam. Et ait, non jurandum: Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. Fit allusio ad Isaiam 66. num. 1. Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea; terra autem scabellum pedum meorum. Scabellum appellatur terra, tanquam quid subjectum pedibus ejus. Dicitur autem Deus in cælo sedere, non quia ipse habeat locata membra, cum sit immensus, nulloque loco circumscribatur; sed quia in cælo, ut ait D. Augustinus, tanquam in loco superiori, in gloria, ac sede regnantis ostendit faciem suam. Terra autem scabellum, quia terra est quid minimum, veluti sub pedibus ejus supposita, ut ait hic D. Thomas, & in ea minora ostendenda præbet, quem in cælo, de hoc plura ad locum Isaiæ. Vide D. Cyrillum, S. Thomam, Pinto, Cornelium à Lapide.

Isai. 66.

August.

D. Thom.

43.

Magna cæcitas in delectatione.

Neque per Jerusalem. Docet, non esse jurandum per civitatem sanctam, utpote civitas magni Regis, nempe Dei. Et non dicitur expressè civitas Dei, quia allusio fit ad Reges Juda, qui in ea habitabant. Per quod ostenditur, quòd super eos, in quibus reges regnant, alius dominatur excellentior, scilicet Deus. Et non dicit Civitas mea, ut notat D. Paschasius, & jam alibi dixi, modestiæ causa.

44.

Neque per caput tuum juraveris. Ponitur hic caput, tanquam pars principalis, pro toto corpore, pro tota vita. Et reddit rationem: Quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum; hoc est; non jures per caput tuum, quia non est tuum, sed Dei; & nemo potest subicere in pignum, & obligationem ea, quæ non sua, sed aliena sunt. Et ita videtur, quòd Chriftus optimè concludat ex hoc discursu, non esse jurandum per creaturas, cum ipsæ non nostræ sint, sed Dei. Sylveira in Evang. Tom. 11.

Et ita ait, ut explicemus totam sententiam; Nolite jurare per cælum, quia non est vestrum, sed Dei thronus; non per terram, quia est scabellum Dei; non per Jerusalem, quia est civitas Dei; non per caput tuum, quia non est tuum, sed Dei: ac sub ejus potestate. Et Chriftus adducit hæc potius in exemplum, quàm alia; quia per illa frequenter jurabant Pharisæi; & eorum pravam consuetudinem vult Dominus è medio tollere.

Sit sermo vester. Est, est; Non, non. Multiplex est horum verborum intelligentia, ut dicam quæ sequenti. Tamen germanos sensus, ut constat ex antecedentibus, est; Dominus hic distindebat juramentum; & ait; Sit sermo vester: Est, est; seu, ut habetur ex Græco, etiam, etiam; Non, non. hoc est, vester sermo sit in quadam simplici affirmatione, vel negatione; nullo adhibito juramento. Si enim vultis affirmare aliquid, dicite: Est, est; si verò negare; Non, non; juramento autem non utamini, sed sincerè loquamini.

His abundat us, à malo est, hoc est, ut habet Græcus, quod amplius est, seu ulterius adjicitur simplici affirmationi vel negationi ad confirmationem, à malo est. Quod ex Græco potest legi in masculino; vel neutro; in masculino, hoc est, à Diabolo suggerente, ut absque necessitate jures, explicant Theophylactus, Albertus Magnus, vel à malo in neutro, hoc est, à vitio, seu turpitudine, sive propria, sive aliena, ut docent D. Paschasius, S. Thomas, Cajetanus. Ex vitio proprio pullulat usus jurandi, vel ex propria mea in Deum irreverentia, vel ex mea levitate, quia existimo, dictis meis non dari fidem. Unde rectè dicit D. Basiliius in Psalm. 14. Turpe est, sese ut fide indignum accusare, & ad juramenti securitatem confugere. Qui enim jurat, se proficetur indignum fide. Vel usus iste jurandi provenit à malo vitio alieno, ut ait Hugo, id est, ab aliena incredulitate, & diffidentia, quia alter mihi non credit, nec meis dictis acquiescit. Franciscus Lucas ita interpretatur. Hoc est, à mala consuetudine vanæ, ac leviter jurandi: quia cum viderent homines, suis dictis non credi, inde habuerunt juramenta in suis verbis, ut illis conciliarent fidem.

QUESTIO IX.

Quare Dominus duplicet dictionem, Est, & Non?

47.

IRCA geminationem vocis Est, & Non, multiplex est explicatio, & optima ad mores. Prima, & literalis, ut dixi in expositione, quòd verba nostra sint in quadam simplici affirmatione, vel negatione absque juramento interpolito, ut jam ibi explicavi, & docent D. Chrysoftomus hoc loco, D. Hieronymus hic, & Epiphanius ad Celantiam. Unde D. Bernardus Epist. 38. maxime laudat Theobaldum, siquidem verba ejus erant in quadam simplici affirmatione, ac negatione, nullo adhibito juramento. Ad alias expositiones veniamus.

Secundò explicant alij. Ut geminatio vocis denotet quandam constantiam, & asseverationem, ut opponitur inconstantia, ac levitati, ut, verbi gratia, quod polliciti estis, vos facturos, facite; & quod dixistis, non facturos, non facite; H h ut

ut loquitur D. Paulus 2. Corinth. 1. numero 17. Nunquid levitate usus, an qua cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me, est, & non ? fidelis autem Deus : quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo, Est, & non.

Tertio Raban. Ideo ait, dicitur bis, Est, est ; sive Non non ; ut quod ore affirmes, operibus probes ; & quod verbis negas, factis non confirmes. Id est verba tua tuis cum factis cohercant ; & quod ore dicis, operibus non contradicas. Quarto Chromantius, D. Augustin. in Enchiridion, c. 17. D. Paschasius hic. Ac si diceret : Sermo à vobis prolatus sit in veritate absque mendacio, ita ut quod est, dicatis, Est ; & quod Non, non ; ac proinde ut res se habent, ita à vobis sit asserta ; & ita in verbis vestris sit conformitas cum re, in qua est ipsa veritatis ratio.

Quinto Albertus Magnus. Dicitur, ait, Est, est, quod si est affirmatio in corde, sic etiam in ore ; & sicut est negatio in corde, sic etiam in ore. Non est habendum aliud in corde, aliud in ore ; sed exteriora verba cordi respondeant. Si ore proferatur, Est, etiam in corde resideat Est, & si in ore sonat Non, in corde retineatur. Eleganter D. Hieronymus Epistol. ad Demetriadem, ait, Quis tantum sanctior potest esse, quam qui vera simplicitatis virtutem tenet, nunquam aliud corde promittit, aliud ore ; & vultusque mentitur.

Ait Jacobus in sua Canon. cap. 5. num. 12. Nolite jurare neque per calum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Si autem vester sermo Est, est Non, non ; ut non sub iudicio decidatis. Quae ultima verba sic legit Biblia Regia : Ut non in hypocritism decidatis. Locus satis aptissimus ad praesens institutum, in quo Apostolus tradit etiam ea, quae à Christo Domino erant edocta. Lectio tamen Bibliae Regiae maxime ponderanda venit. Nam si aliud Est sonat in ore, & aliud distinctum latet in corde, hypocritis quaedam est maxime detestanda. Oecumenius habet Ne incidatis in condemnationem. Qui enim in hanc hypocritism prolaboritur, ut habeat unum Est in ore, & aliud in corde, statim in condemnationem incidit.

Judaei multas in Dominum persecutiones sunt machinati ; tamen de eorum labiis dolosis maxime conqueritur Salvator : Vana locuti sunt unusquisque ad proximum : labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Disperdat Dominus universa labia dolosa ? Psalm. 11. numero 3, & 4. Multas in Dominum blasphemias, multas injurias, ac opprobria conjiciebant ; ipse tamen conqueritur praecipue : In corde, & corde locuti sunt. Ad quid geminatur in corde ? D. Chrysostrbus, Divus Augustinus, Brunonius, & alij. Denotatur, quod in eis duplex cor erat, unum in ore, & aliud intus in animo. Divus Thomas ibi. Geminatio duplex cor significat : ostendunt autem ore se habere unum ; corde autem habent aliud. Et ideo tam vehementer ad Patrem exorat : Disperdat Dominus universa labia dolosa. Unde ait hic Chrysostrbus, Nec enim erat tantum vitium, quod natabat in superficie, sed erat in profundo, & in corde. Hoc est omnibus hostibus acerbius. Illi enim sunt aperti, unde etiam facile caveri possunt. Hi enim, cum aliam personam praeseferant, & sint aliud, ab iis, quibus tendunt insidias, non facile deprehenduntur.

Matth. 5. v. 38. Audisti, quia dictum est:

Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

Num. 39. Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi & alteram.

VERSIONES.

Syracus. Ego verò dico vobis, ne insurgatis contra malum : sed quisquis percussit te supra maxillam tuam dexteram, obverte ei & alteram.

Tertull. lib. de Verberanti te in faciem ; Patient. cap. 8. etiam alteram genam obverte.

Verabul. Quisquis impegit alampam in dexteram tuam maxillam.

Chrom. D. Aug. Praebe illi & sinistram, lib. 2. c. 76.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 6. v. 29. Qui te percusserit in maxillam, praebe & alteram.

EXPOSITIO.

D magis explicandam doctrinam, ut notat D. Paschasius lib. 3. in Matth. quam Dominus supra tradiderat : Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Phariseorum ; postquã tractavit de Juramento, incipit agere de lege talionis. Nam iustitia Phariseorum erat, ut læsus vindictam, ac penam talionis exequiretur contra lædentem. At Christus altiora docet, non solum ab hujusmodi cupiditate abstinere, sed etiam miram patientiã exhibere ; ut percussit te in dextera, alteram maxillam offeras & volenti tunicam tollere, dimittas ei & pallium. Et ait Dominus : Audistis, quia dictum est : Oculum pro oculo, dentem pro dente ; hæc enim erat lex talionis, ut quod quisque fecisset, idem pateretur. Ego autem dico vobis. Appetitum vindictæ Dominus tollit à vobis, & maxime nobis ingerit propensionem ad patientiam. Non resistere malo, in neutro, id est, rei malæ, seu injuriæ illatæ ab homine malo ; seu noli malum malo recompensare, seu retaliare ; seu contumeliam, ac noxam in te injectam noli vindicare. Potest etiam resistere malo sumi in masculino genere ; cui interpretationi videtur favere Syriacus : Ne insurgatis contra malum. Et est sensus : Homini malo, tibi injuriam facienti, noli resistere, aliam injuriã, ac noxam retaliando, sed patientia vince malum. Et ad hoc adhibet mirum consilium ; ac patientiæ documentum : Si quis te percussit in dexteram maxillam, praebe alteram. Facit potius mentio

mentionem de percussione in facie, quàm in corpore, quia illa magis ignominiosa reputatur. Et dixit potius dexteram, quàm sinistram, quia quæ ad dexteram pertinent, ut ait Albertus Magnus, pretiosiora, & chariora reputantur.

Non prohibet hic Dominus, injuriam declinare ; nec tollit à vobis jus defensionis ; & multominus magistratibus, ac præfectis civitatibus non vetat homicidas, latrones, ac facinorosos punire ; nam hoc eis incumbit ex officio. Sed vult Dominus tollere privatas inimicitias ; ac vetat spirituum, ac appetitum vindictæ, odij, & iræ ; & magquam nobis imprimat propensionem ad patientiam, ac mansuetudinem, & miram charitatem, ac suaviter nobis ingerit in eum à quo malè affecti sumus. Et ita docet hic D. Augustinus Epistol. 5. ad Marcellinum, & lib. de Mendaci. c. 15. Quod hæc doctrina, tradita hic à Christo, maxime pertinere ad internam animi præparationem, ac compositionem.

QUESTIO X.

Quare permittebatur Lex talionis ?

Moyses in lege præscripsit, ac permisit Judæis legem talionis. Levitic. 24. n. 19. Qui irrogaverit maculam oculi alteri civium suorum, sicut fecit, sic fiat ei : fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet ; qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogatur. Idem habetur Exod. 21. num. 24. Deuter. 19. n. 21. Et hæc talionis lex communiter erat apud alias nationes, Græcos, & Romanos, ut verbi gratia, qui oculum alterius erueret, & ipse exocularetur ; & qui dentem adimeret, dens ejus esset avulsus.

Et quantum aliqui auctores ita velint hanc legem explicare, ut licitum esset privato Judæo, qui injuriam ab alio passus esset, similem suã privata auctoritate retorqueret in lædentem : tamen verior est sententia quam tradunt Albertus Magnus, D. Thomas, Cajetanus, Maldonatus, nò esse permissum homini particulari, talionis penam in alterum inferre ; sed hoc tantum ad magistratus, ac gubernatores civitatum pertinere. Et ita dicitur Levit. 19. num. 18. Non queras ultionem : nec memor eris injuria civium tuorum. Quod videtur repugnare cum lege talionis. Unde rectè ibi respondet Cajetanus citato loco Levitici, non prohibuit fuisse ultionem querere à judice, sed propria auctoritate ; quod maxime fovet lectio Septuaginta ; Non ulciscatur tua manus, & non irascaris filiis populi tui. Et clariùs lectio Pagnini : non ulcisceris te.

Moyses autem fecit hujusmodi legem talionis, ut dicitur Deuter. 19. n. 20. Ut audientes ceteri timorem habeant. Et ita ait Terrullian. lib. 2. contra Marcion. cap. 18. Licentia retributionis, prohibitio esset provocationis. Secundo D. Thomas, Moyses vidit Judæos valde temerarios in injuriis, & vindictis faciendis ; & ideo, cum non posset aliter eos retrahere, penam vindictæ voluit temperare, ne supra modum illatas injurias vindicarent, sed ad plurimum pro pari parem redderent talionem ; Christus verò perficit legem, & addit, ut norant Chrysostrbus. homil. 18. Imperfectus hom. 12. Sylveira in Evang. Tom. II.

D. Hilariis, Theophylactus, Euthymius, quia lex vetus metu pœnæ talionis continebat homines à delictis ; Christus autem nos, non metu pœnæ, sed amore tanquam filios ad virtutem inducere curat, ut notavit D. Epiphanius hæresi 53. Et docet Paulus Rom. 8. n. 15. Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore ; sed Rom. 8. accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei. Secundo, ut docent. D. Hieronymus, Augustinus, Dominus non solum spiritum vindictæ à nobis excludere voluit, verum etiam eximiam nobis imprimere patientiam, in omnique charitatem.

QUESTIO XI.

Quare Christus, dum tractat de percussione in maxillam, solum dexteram meminert ?

MNIBUS doctoribus, duce D. Augustino Epistol. 5. ad Marcell. facit quæstionem : Cur Dominus, dum de percussione agit, potius dexteram nominat, quàm sinistram ; cum alapa communiter impingi soleat in sinistram maxillam, quæ respondet dexterae manus percussantis ; & non in dexteram faciem, ut etiã notavit Cassiodor. Collat. 1. c. 22. & D. Paschasius lib. 3. in Matth. Respondet primò ipsemet Augustinus. Sic intelligi solet, ac si dictum esset : Si quis in meliora fuerit percussus, & inferiora ei praebe ; nam quia dextera nobiliora sunt, quàm sinistra ; dextera maxilla, bona nobiliora ; sinistra verò, bona ignobiliora significatur. Hoc patet, si quis te percussit in bonis nobilibus, praebe ei quoque reliqua ignobiliora, quæ remanent. Qui est sensus literalis, ut dixi in expositione, vide ibi dicta. Et moraliter etiam optime explicatur. Valde indignum est, ut qui magnanimitè largitus est majora, avarus sit in concedendis minoribus ; & qui illustre, ac præclarè se gessit in magnis, implicetur parvis, ac minimis. Ob Christum dedisti dexteram tuam, meliora tuã ; Non dubites etiam pro eo minor exponere, & amittere. Ingressus es Religionem ; renuntiasti seculum, & omnia bona illius, ac tuam propriam voluntatem ; noli illaqueari quibusdam minutis prælationibus.

Secundo Maldonatus, Jansenius docent, quod sensus hujus rei nullus alius est, quàm quod velit dicere : Si quis te percussit in una maxilla, verte illi alteram ; & quia prius dexteram, quàm sinistram solemus nominare, non cædendi, sed loquendi consuetudinem secutus est. Sicut Scriptura loqui solet : Non declinabis ad dexteram, nec ad sinistram, Num. 20. num. 17. Communiter tamen sancti Patres magnum hic agnoscunt mysterium in eo, quod potius dexteram, quàm sinistram dixerit, ut patebit ex dicendis.

Tertio idem D. Augustinus in Plal. 102. Venit quæ, ait, & vult tibi percutere dexteram, id est, tollere tibi fidem tuam. Accipisti alampam in dexteram, praebe sinistram : id est, ut illud tollat, quod temporale est, non ea, quæ æterna habet. Per dexteram intelligit magnus Pater fidem, ac superna turalia dona ; per sinistram verò temporalia ; juxta illud Proverb. 3. num. 16. Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitiæ & gloria

Euthymius. Quicumque te cogit ad milliari unum. Syriacus n. 42. Et volentem mutuari abs te ne prohibeas. D. Augustinus. Ne averfatus fueris. Ne averferis. Graecus.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 6. n. 29. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Numer. 30. Omni autem petenti te tribue: & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas. Numer. 34. Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere; quæ gratia est vobis; nam & peccatores peccatoribus fenerrantur, ut recipiant æqualia.

EXPOSITIO.

75.



ROSEQUITUR Dominus suam doctrinam, apponendo exempla quomodo non sit resistendum malo. Et, qui vult tecum in iudicio contendere; seu tecum altercare, ut ait Glossa,

Gloss.

Euthym.

Alb. Magn. S. Thom.

Euthym. Pax maxime procuranda.

Bellarmin.

Chrysoft. Litigantes potius ad victoriam, quam ad veritatem attendunt.

76. Quid sit angariare. Franc. Luc.

Matth. 27.

milliare; confice tu cum eo, non unum solum milliari, sed duo milliaria. Quod aperte indicat lectio Syriaca, & Græca. Et ita totius sententia sensus est: Si quis te cogit, ut cum eo proficiaris ad unum milliari, potius cum eo abi ad duo milliaria, quam cum illo contendas, aut altercationem moveas, ut ita pacem cum omnibus conserves. Per quod nos docet Dominus, quod maxime intendamus cum omnibus pacem habere; & quod ita ab appetitu vindictæ simus alieni, ut preparatione animi, ut ait D. Augustinus, simus dispositi, iteratas injurias potius tolerare, quam de una aliquam reportare vindictam.

Qui petit à te. Docuit nos Dominus supra, non resistere malo; nunc vero nos exhortatur, ut simus perseverantes in bono, liberalitate, ac misericordia. Qui petit à te, hoc est, qui querit, ac petit opem, & auxilium tuum, sive sit amicus, sive inimicus; si tamen, ut ait Glossa, iuste, & honeste, quæ possunt dari, petit: honeste dicit, ait D. Thomas, quia res ita potest esse necessaria, ut honeste non possit dari: iuste, quia aliena res non potest dari iuste: Da ei; id est, illi subveni pro tua facultate, ac ratione, & volenti mutuari a te; petenti mutuo à te: & forte præ verecundia volenti petere, & non audenti. Ne averfatus fueris, seu, ut legit D. Augustinus, ne averfatus fueris; hoc est, ne sis suæ voluntati contrarius, sed succurre ei, & suam necessitatem avertes; & liberaliter impende ea, quibus ipse indiget.

Syriacus. Græcus.

Iterate injuria patienter sustinetur.

August.

77.

Glossa. D. Thom.

Largiendum est ei qui ob verecundiam petere non audet. August.



CAP. XIV.

Inimici diligendi.

Matth. 5. n. 43. Audistis, quia dictum est. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

VERSIONES.

Syriacus. Audistis, dictum fuisse. Radix Hebraica. Diliges amicum, sive socium, sive proximum tuum.

EXPOSITIO.



OSTQUAM Dominus egit in superioribus de patientia, & injuriis sufferendis, hinc aggreditur agere de dilectione inimicorum, ut latius dicam questione 2. Audistis, quia dictum est. Et non fatur Dominus, ut sæpè in hoc capite loquitur num. 27. & 33. Dictum est antiquis, sed absolute: Dictum est, quia hoc non erat à lege dictum, ut notat Albertus Magnus, Alb. Magn. Præsul in remedio agat, & n. mini injuriam inferre. Suggilla.

1.

suggillare, nec injuriare; & ideo cœlestia sua documenta de dilectione inimicorum diffundit; auctores vero reprobata doctrina, scilicet de odio inimicorum supprimit, ne cum injuria nominentur. Deinde si suos majores, ac doctores exprimeret, eorumque dogmata rejecisset; inde auditorum animi fierent ei adversi, quos maxime sibi benevolos, ac conciliatos totis Prædicator viribus affectet habere.

2. Vox Hebraica.

Valerius. Quid sit proximus.

Salmeyron. Maldonat. Cornel. Alb. Magn.

3. Diabolus, ut suam seminet falsitatem cuius aliqua eam veritate conjungit.

4. Pharisæi dicebant inimicorum dicit.

Deuter. 15. Deuter. 23.

Numer. 15. Exod. 23.

5. August. Origen. Inimicus. Diabolus.

Maldonat. Salmeyron.

roh. tom. 5. tract. 43. existimant, quod sensus illorum verborum, Oderis inimicum tuum, contineatur in lege in illo Deuter. 25. Delebis nomen ejus, &c. Et citantur in patrocinium hujus sententia; Chromantius hoc loco, & D. August. Chromantius lib. 1. de serv. Domini in monte, cap. 21. & August. Hilari. Paschas. Julian. D. Hilarius in Math. D. Paschasius lib. 4. in Math. Julianus Episcopus Tolerao. in questionibus novi, & veteris Testamenti, habetur in Bibliotheca tom. 15. quest. 32. Qui omnes docent, quod inimicorum odium non erat mandatum in lege, sed quædam illius permissio. Ita ait D. August. Oderis inimicum tuum: non vox tubentis iusto accipienda est, sed permissio infirmo. Itaque, ut etiam exprimit Chromantius, & Paschasius, illud fuit quædam permissio ip lege propter populum terrenum, & carnalem dicitur ejus; & ideo ut aliquantulum ejus infirmitati, ac imperfecti condiscendatur, illa facta est in lege permissio.

In hac re tenendum est, quod odium inimicorum nullo modo erat traditum à lege, sed tantum à Scribis, falsè legem interpretantibus. Ita docent hic D. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, Beda, Rupertus lib. 3. in Math. Glossa Ordinaria, Albertus Magnus, S. Thomas, Eusebius Theophyl. Emilianus homil. in hoc Evangelio, & D. August. Beda, Rupert. Glossa. Alb. Magn. August. Quod mandabatur in lege odisse inimicos, non emulsenus, quia iniquus, ut homo, sit odiendus, quia ut sic est diligendus; sed quia ejus iniquitas est odio habenda, ut ab ejus conversatione, ac contagione declinetur, ac fugiatur. Et ita ait Augustinus: Audis, & non intellectu: Oderis inimicum tuum; ferebantur homines in hominis odium, cum deberent non odisse, nisi vitium.

Probatur primò. Quia odium inimicorum est intrinsecè malum contra legem naturæ, ut docent D. Basilii in regulis brevioribus, responsio contra legem naturæ. mi Theologi, Abulensis hoc loco quasi. 347. Suardius tom. de præceptis, disp. 5. s. 5. num. 14. Lor. ca. 2. 2. disput. 25. num. 6. Bonacina tom. 2. disp. 3. quest. 4. part. 3. num. 2. Filiucius tom. 2. tract. 28. num. 15. Barradas hic, & alij. Ratio est, quia inimicus est proximus, cum sit creatura Dei, & ea pax beatitudinis: ergo odium erga hujusmodi creaturam rationalem, prout respicit personam ejus, est malum, & repugnat cum natura. Deinde, quia naturale jus dicit, aliis faciendum esse, quod nobis ipsis fieri cupimus. Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, eadem vos facite illis; unusquisque autem cupit diligi, & sibi subveniri in necessitate, ergo eadem debet facere alius. Et hanc etiam doctrinam multi Philosophi sunt assecuti.

Probatur etiam secundò. Quia in Testamento veteri etiam dabatur doctrina de charitate erga inimicos: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum. Non quaras ultionem, nec memoreris injuria civium tuorum, Levit. 19. n. 17. Levit. 19. & 18. Ubi exprèsè mandatur, quod frater noster, qui est quilibet homo, non sit nobis in odio in corde; sed si aliquid nobis est contra illum, ad judicem deferatur. Cum occideris inimicum tuum, ne gaudeas; & in ruina ejus non exaltetur cor tuum, Proverb. 24. num. 17. Si esurierit inimicus Prover. 24.

7.

8.

In lege charitas ad inimicos.

Hh 4